INDEX SCHOLARUM

IN

UNIVERSITATE STUDIORUM

JAGELLONICA

INDE

A DIE 1 OCTOBRIS ANNI MDCCCXLVII

USQUE

AD MEDIUM MENSEM JULIUM ANNI MDCCCXLVIII

HABENDARUM.



CRACOVIAE

TYPIS UNIVERSITATIS JAGELLONICAE.

M. JOSEPHUS BRODOWICZ

RECTOR

UNIVERSITATIS STUDIORUM JAGELLONICAE

CUM

SENATU ACADEMICO

CIVIBUS LITERARUM STUDIOSIS S. P.

Chirurgorum saeculi XVI princeps et sidus lucidum Archigymnasii Patavini, Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, non acquievit in solis operibus, artem suam promoventibus; verum etiam subinde argumentis e media philosophia desumptis insudabat. Testes hujus rei sunt inter cetera duo tractatus, alter de loquela brutorum, alter de locutione ejusque instrumentis apud hominem: quos summi abhinc physiologi, his rebus intenti, magni omnino facere et in proprios usus convertere non dubitarunt. Misso jam priore, tanto lubentius posteriori hic immorabimur, tum ob insignem thematis gravitatem, tum praecipue hac de causa, quod primus, qui hanc opellam Fabricii in lucem promsit et typis evulgavit, erat idem Joannes Ursinus Leopolitanus, quem ante octennium a Cracoviensi, et

omni alio Ursino diversum, atque genuinum auctorem egregii tractatus de ossibus fuisse vindicavimus: quod quidem omnes ejus biographi siccissimo pede transeunt.

Ast recens assertum nostrum omni eripit dubio ipsa illa primitiva editio libelli, quae felici quadam fortuna nunc nobis in manus incidit; quod quidem, ut plura alia memorabilia ex accuratiori illius descriptione facile intelligetis.

Titulus operis in fronte positus talis est: Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, Philosophi ac Medici in florentissimo Gymnasio Patavino Anatomes et Chirurgiae Professoris publici singularis et supraordinarii De Locutione et ejus instrumentis Liber a Joanne Ursino editus. MDCI. Venetiis per Joannem Baptistam et Antonium Mejettos fratres. Ultimum titulus finalis magis adhuc explanat hoc modo: Venetiis ex Typographia Joannis de Albertis. Cum licentia superiorum. Impensis Joann. Baptistae et Antonii Mejettorum. Anno Domini MDCI. Kal. Octobr.

Editio haec in 4to est, literis majusculis, in charta eximia excussa, et praeter alias, figura organorum locutionis, a Joanne de Bust sculptis, illustrata; denique Thomae Zamoscio, puero Joannis dicata. Dedicatio et Synopsis, tum vero ambo tituli, figurae supra memoratae explanatio, porro index alphabeticus nominum ac rerum, nec non versiculi graeci, (quibus Josephus Bomphabius Venetus Thomam Zamoscium Magni Joannis Zamoscii Filium ad fortia facta et linguarum studium excitat; laudesque tum auctoris Fabricii, tum editoris Ursini praedicat), paginas sine numero XVI, complexus autem operis 69 occupant. Titulum principalem exornant diversa emblemata, quae partim auctorem, partim editorem, et tandem patronum, cui opus devotum est, respiciunt. Insignia nempe gentilitia Zamosciorum a geniis sustentata inter duas figuras majores, quarum altera locum nativum Fabricii, altera Anatomen designare videtur, sublimiorem tituli partem occupant; inferiorem vero explent prae-

ter insignia Ursini aliaque, quatuor pueri, e quibus duo labialibus et lingualibus literis pronunciandis, et duo alteri monstrando ac perdiscendo alphabeto graeco ad tabulam occupati sunt: infra quam secunda adhuc tabula cernitur, literis idiomati polonico specialiter propriis inscripta.

Titulus finalis itidem picturam gerit, quae repraesentat arbusculum frugibus onustum, cui adstant gallus erectus et gallina semina humi legens, cum tali inscriptione: „Non comedetis fruges mendacii.“

Ex dictis igitur jam sufficienter patet, Ursinum nostrum editorem Fabriciani operis fuisse. Attamen maximam lucem spargit desuper ipsa praefatio Ursini, ubi aperte et luculenter rationem reddit, quando et quali via ad illius notitiam ac evulgationem pervenerit, quibus rationibus inductus huncce laborem susceperit, et cur demum eundem Zamoscio puero devoveat? Sed haec optime edicunt propria Ursini verba, e quibus etiam relatio singularis et arctissimus nexus perspiciuntur, quales tunc Ursinum inter et magnum suum magistrum, nec non inter utrumque, quin imo totum florentissimum Gymnasium et nobilissimam gentem Zamoscianam intercesserint. „Parens tuus, inquit, magnitudine rerum gestarum toto fere orbe celebrem se fecit: tamen existimationis hujus magnam partem sibi vindicat bonarum litterarum cultura, in quibus tantum ille eminet, ut inter doctissimos familiam ducat. Praeclarissimi illius erga litteras studii tum Academia in nova urbe Zamoscio condita, tum nos aliquot Academiae illius Alumni testes locupletes sumus; qui cum non omnino doctissimi ad primordia ejus jacienda evocati fuissemus, ea circa nos vel cura vel benignitas patris tui exstitit, ut nonnullos ex nobis selectos ad varias Christiani orbis Academias, honestissimis sumptibus, tanquam ad mercatum bonarum artium dimiserit; quo inde ad rem quasi domesticam cumulatius procurandam, paratiores et instructiores rediremus. Ego cum a puero ad studium medicum essem inclinatior, ejus discendi causa Patavium ire jussus sum:

ubi Zamosciani nominis dignitas, ab adolescente adhuc patre Tuo in hac republica litteraria excitata, tanto favore me excepit, ut principum in hac arte medicorum non modo eruditio et disciplina, sed propemodum familiaritates et amicitiae mihi pateant. Enitor equidem imprimis, ne tanti Herois opinionem et liberalitatem erga me fruster: deinde ut et olim educationi, et deinceps reliquae vitae et aetati tuae utilis sim.

„Judicium hujus rei etiam nunc dare volo; non quidem de meo, neque enim dum quicquam tale possum, verum ut argumento fiat, inter summos et praestantissimos me versari, non indecorum putavi, alienis ornamentis me venditare.

„Libellus est, quem tibi offero, De Locutione Clarissimi et Doctissimi Medici, Hieronymi Fabricii ab Aquapendente, visus a me inter varias illius doctissimas elaboratissimasque triginta octo annorum lucubrationes... Quae dum ego lego et admiror, aetatulae tuae primam infantiam egressae venit mihi in mentem: si forte dum sermonis usum capessis, dum patriae, latinae graecaeque linguae rudimenta imbibis, vel adjumento, vel oblectamento haec tibi esse possint... Porro, libelli auctor, dum ab eo non negligenter peterem, ut sub tuo nomine illum evulgarem, tanta id promptitudine praestitit, ut incredibilem quandam et erga Patrem Tuum venerationem, et erga Te observantiam, aut potius pietatem testatissimam esse vellet. Quoties de illo cogitabis, scias esse hominem, ut nominis celebritate clarum, ita Zamosciano nomini devotissimum. Me in clientelam Domus vestrae receptum, ut tibi addictissimum esse existimes, etiam atque etiam te rogo. Bene et diutissime vale. Datt. Patavii Kl. Sept. Anno Domini supra Millesimum sexcentesimo primo.“ Ita Ursinus.

Verum non minus pondus addunt effatis ejus et sententiae nostrae, 16 versus graeci, a Josepho Bomphabio, Veneto, concinnati, calci operis adnexi, quorum argumentum supra indicavimus.

Hisce, ut spero, non sine oblectamento vestro praemissis, transeamus nunc ad ipsam operis substantiam, quam auctor 13 absolvit capitibus. Et licet hic more saeculi abreptus in tota expositione methodum scholasticam observet et Aristotelis Galenique auctoritati tantum obtemperet, ut adeo praeter hos duos, nullum fere alium se citaturum ipse aperte fateatur; quia tamen et alteri proposito aeque firmiter adhaeret, quod nempe ab Anatome nunquam ne latum quidem unguem recedere velit, hinc etiam, si ab aliquot argutiis et superfluis repetitionibus mentem avertamus, plurima longe e fideli observatione hausta, profunde ac mature cogitata, casto ratiocinio fulta et perspicue dicta facile liquebit.

En synopsin illorum levissimo calamo adumbratam: Exordium sumit a contemplatione sapientis instituti naturae, quo e supervacaneis etiam utilitatem capere novit; uti hoc vel maxime in aëre exspirato apparet, quem ad formandam loquelam impendit; cujus praestantia breviter celebratur. Postea definitionem ab Aristotele traditam explanat; quem juxta „Locutio vocis per linguam dearticulatio est: articulus vero affectio quaedam voci adveniens, et quidem hujus interruptio, divisio seu distinctio, intercisio dicitur.“ Vox enim sua natura fusa et continuata, accedente articulo intercipitur ac tollitur: quemadmodum id in fistula foraminibus instructa, quando haec motu digitorum vicissim occluduntur et aperiuntur, observare licet. In hominis loquela articulos vocis constituunt literae, quae vel a legendo, vel a lituris, vel ab illiniendo, vel demum a lineis etymon ducunt. Ultimum vel inde maxime arridet, quod et Graecorum γράμματα itidem lineas significent. Ast hoc potius de characteribus scriptis intelligendum est, quos a literis naturalibus, quae sunt ipsae voces articulatae, stricte distinctos haberi vult. Hoc significatu hic etiam sumuntur; siquidem ex prolatis, non autem e scriptis literis loquela conficitur: nisi quis contendere vellet, quod in pronun-

tiatione literarum oris quoque partes variam et variam sortiantur figuram: figura vero unaquaeque certis constituatur lineis.

Literarum species duae sunt: φωνήεντα, per se sonantes, vocem habentes, vocales, et voce carentes, ἄφωνα, vel eam tantum a vocalibus mutuantes σύμφωνα, consonantes: quarum aliae praefixam sibi habent vocalem, et hac etiam detracta, tamen adhuc aliquem sonum retinent, *semivocales;* aliae cum vocali subsequa, dum hanc amittunt, intra oris sonitum ante orispicia moriuntur, *mutae* vel *surdae* dictae.

Sequuntur nunc septem problemata philosophica de literis earumque solutiones; quae qua totidem specimina dialecticae subtilitatis enumerare hic sufficiet:

1. Cur literae in vocales et consonantes distinguantur?
2. Cur illae sonent hac vero sono careant?
3. Cur consonantes, ut sonent, vocalem habent adjunctam?
4. Cur apud Latinos vocalis E consonantibus associetur?
5. Cur vocalis consonanti adjecta interdum praecedit, interdum sequitur?
6. Cur consonantes in semivocales et mutas dividuntur?
7. Cur semivocales sine vocalibus sonum aliquem retineant, mutae vero non?

Post literas breviter de syllabis agit; quas jam vel unica dumtaxat vocalis, ast ne plurimae quidem consonantes coacervatae solae formare valent.

His absolutis ipsa locutionis organa disquirit et causas efficientes vocalium et consonantium, nec non locum, in quo hae et illae formentur, in genere scrutatur. Tota oris regio cum omnibus suis partibus organum locutionis adaequatum, principale tamen lingua et labia constituunt: tum quod musculos mobilissimos et voluntati paratissimos sistant: (nam et locutio voluntaria et libera est actio), tum vero quod lingua voci ex larynge

in cavum oris resonanti, labia vero foras petenti occurant; quae dein modo ad palatum, modo ad dentes, modo ad invicem appellendo, eandem articulant.

Lingua omnes vocales et longe plurimae consonantes formantur; quid quod haec etiam ad labiales efformandas saltem indirecte contribuit, quatenus eas sine ope vocalium pronuntiare nequimus.

Ceterum vocales in faucibus, seu postrema palati parte, quae columellae contigua est; consonantes autem in media et antica oris cavitate generari, multis argumentis evincere studet; et illas quidem minimo obscuro motu radicis seu latioris extremitatis linguae, sine appulsu; dum haec modo latescit, modo incurvatur, modo plana fit, modo canalis ritu cavatur; istas vero anteriori sui parte, et potissimum apice, quando vel plicatur, angustatur vel rotundatur, vel ampliatur, simulque ad varias palati regiones aut versus dentes superiores vel inferiores allidit. Labiales fiunt appulsu labiorum ad invicem vel ad dentes.

Motus autem labiorum et linguae ad formandas literas necessarius, est mere localis, qui nempe a sola vi substantiae eorum musculari insita exseritur, sine ministerio aliorum musculorum, haecce organa seorsim adhuc regentium. Etenim talis solum motus et facillimus et celerrimus, et jucundissimus esse potest, atque omnino sufficit ad levissimum aërem, propriam illam vocis et loquelae materiam, agitandum. Celerrime vero et facillime literas pronuntiare par erat, ut affectus animi, qui etiam motus sunt, extemplo significentur. Jam autem animo velocius quum sit nihil, quippe qui momento temporis omnes coelos permeat omnemque terram lustrat, procul igitur dubio motibus animi instrumentorum ejus quoque motus respondere debent. Quod sane non ita accidisset, si lingua in loquendo, uti in manducando vel deglutiendo aliisque suis muneribus separatis prorsus musculis indigeret.

Post generalem, specialem genesin singularum literarum acutissime prosequitur, explicans clare, tum quae partes, et quo loco modoque ad quamlibet earum formandam concurrant, tum qua vi et celeritate eaedem in singulis moveantur, tum denique mitiorem aut fortiorem aëris sonantis impetum notando; atque continuo demonstrans, naturam ubique in producendis literis elegantiam, facilitatem et maximam celeritatem affectasse.

Ceterum genesin consonantium et sensibus patere et faciliorem intellectu esse agnoscit. At quonam modo afficiatur aër, et in quam figuram partes variae ad variam vocalium formam contrahendam coëant, et num in vocali *o* rotundari magis faucium cavitatem contingat; *a* vero potius ovalem figuram in longam productam efficere; quemadmodum in *e* transverse ovalem; in *i* autem acuminatam; in *u* demum profundiorem fieri cavitatem: „ego sane, ait, rem difficillimam definire minime ausim. Decet enim virum anatomicum aut demonstrationibus, quae sensibus potissimum innituntur, insistere, aut saltem probabilia afferre, quae vero probabilia vix apparent, non attingere."

Ultimis capitibus perpendit numerum literarum et dialectorum varietatem, atque literas naturales esse probat; unde sequentia scitu digniora notare adhuc liceat.

Numerus literarum varius a variis statuitur. Si mere ad organa vocem articulantia respiciamus, unde essentialis literarum differentia provenit, et illas literas negligamus, quae vario tantum aëris impulsu distinguuntur, et aspirationis notam exprimunt vel eundem sonum habent, aut demum ex aliis componuntur, tum numerus earum longe utique minor erit: et vocales quidem solum quinque, consonantes vero 12 ad summum 13 stabiliendae forent.

Attamen ut clarior fiat loquela, tum etiam majoris elegantiae et facilitatis gratia, pluribus jam utebantur veteres, utuntur neoterici. Qui

vero parcioribus contenti sunt et consonas inter se confundunt, facile aequivoca et inanes repetitiones incurrunt.

Itaque a majori vel minori numero literarum, et a diverso robore organorum articulantium, ipsaque energia, qua aër propellitur, dependet etiam suavior vel asperior pronuntiatio, tam apud singulos homines, quam apud integras nationes; quemadmodum certa loquelae vitia, uti in psellis, blaesis et sic porro, a prava organorum in primis autem linguae conditione, vel a consuetudine originem petunt. Quamobrem infantes saepe trauli sunt; ebrii et gravi morbo detenti balbutiunt etc. Populi septemtrionales, Celti, Germani, Sarmatae et omne genus Scythicum, quia robusti sunt robustamque habent linguam, et vehementius respirant, robustiores etiam literas eligunt, et sermo illorum rigidior esse videtur. E contra vero gentes meridionales: Galli, Hispani, Itali, leniter, placide, suaviter sermocinantur; imprimis vero Graeci, quibus dedit Musa rotundo ore loqui. Unde Carolus V Imperator, linguam Hispanorum ad orandum, italicam ad familiare colloquium, gallicam ad blandiendum, germanicam ad minandum etc., idoneas esse dicere solebat.

Verum haec omnia ad accessorias potius modulationes, nequaquam ad ipsam essentiam literarum attinent. Etenim literae, quatenus naturales vocis articulos exhibent, eaedem apud omnes sunt gentes: quandoquidem iisdem semper organis concurrentibus, et definitis tantum motibus eorum, apud omnem hominem procreantur; neque promiscuis partibus, neque mutuo ullo pacto fieri valent; neque est quispiam, qui labiales lingua et palato, aut linguales labiis, aut consonantem quandam sine vocali pronuntiet; utut os tendat, distorqueat, et quidquid demum moliatur. Elementa igitur locutionis humanae semper et ubivis eadem sunt eruntque in perpetuum; sed modulationes eorum et signa seu literae scriptae, numero et figura variare possunt.

Quod vero ex iisdem elementis adeo diversa et numerosa exorta sint idiomata, hujus rationem non in literis, sed in literarum compositione, seu syllabis quaerere oportet; e quibus dein vocabula, dictiones et omnis oratio ulterior manat; quemadmodum remotas tantae diversitatis causas, potissimum in varia nationum sede, qualem cuilibet Superi designarunt, et in sociatis intime cum eadem sede, specialioribus eorum vitae genere, negotiis, moribus, cultu et s. p. facile iuvenies; atque sapientissimo consilio alterum cum altero concordare ubique miraberis.

Ast quotquot sint locutionis modi, et quantum etiam linguae populorum inter se discrepent; in eo tamen conveniunt omnes, quod constituant dotem, ab auctore naturae soli tantum homini concessam; qui idem semper est in genere, specie et singulo homine. Loquela est mentis nuntia et clarissima rationis interpres, adeoque tutissima humanitatis nota et vinculum insolubile. Hac sola cognoscimus et intelligimus alios homines, atque vicissim noscimur et intelligimur ab illis. Haec pretiosissimum thesaurum cujuslibet hominis et totius populi recondit. Verum enim vero quemadmodum omnes populi unicam tantum familiam humanam componunt; ita omnes illorum linguae quasi totidem canorae voces in unum ingentem harmonicum Hymnum solvuntur, quo maximum, optimum Parentem in coelis adoramus.

Vos ergo, Juvenes honestissimi, diligite ac veneramini patrium sermonem; sed colite etiam sedulo ceteras linguas ingenio et copia divites;

Spernite nullam.

XAIPEIN.

CORRIGENDA.

Pag. III *v.*	8 facere	*legendum est*	fecere.
„ VI *v.*	7 Judicium	„	Indicium.
„ XI *v.*	18 ad accessorias	„	accessorias.
„ XI *v.*	19 ad ipsam	„	ipsam.

ORDO THEOLOGORUM.

LEO LAURYSIEWICZ

S. TH. D. P. O. P. FACULTATIS THEOLOGICAE H. T. DECANUS.

Auditoribus anni tertii Theologiam Pastoralem, Catecheticam, Didacticam, Eloquentiam sacram, simulque artem mutos surdosque a natura tractandi et instituendi sequenti ordine tradet: Semestri hyemali diebus Lunae et Martis ab hora 9—10 Theologiam Pastoralem, a 10—11 Catecheticam; diebus Veneris et Saturni ab hora 10—11 Theologiam Pastoralem, ab 11—12 Catecheticam, nec non ab hora postmeridiana 2—3 Theologiam Pastoralem duce Povondra; Semestri aestivo, iisdem horis et diebus, Eloquentiam Sacram duce Skideł, Didacticam duce Veinkopf, atque artem mutos surdosque tractandi duce Czech.

CAROLUS TELIGA

S. TH. D. P. O. P.

Historiam Ecclesiasticam et Patristicam auditoribus anni primi per utrumque semestre, diebus Lunae, Mercurii et Veneris mane ab hora 10—11; post meridiem ab hora 2—3; die vero Martis, ab hora 10—12 et die Jovis ab 10—11 explanabit.

IGNATIUS PENKA

S. TH. D. P. O. P.

Institutiones dogmaticas auditoribus anni secundi diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris ab hora 11—12, duce Klüpfel; ethicas vero auditoribus anni tertii, diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis ab hora 5—6 post meridiem duce Stapf, profitebitur.

FELIX SOSNOWSKI

S. TH. D. P. P. O.

Archaeologiam et Hermeneuticam auditoribus anni primi, semestri hyemali, diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 8—9 duce Ackermann et Alber; Linguam Hebraicam et Syro-chaldaicam, diebus Martis, et Mercurii ab hora 9—10 per utrumque semestre, duce Jahn et Oberleitner; semestri aestivo Exegesim SS. Librorum Veteris Foederis diebus Lunae, Veneris et Saturni ab hora 9—10, duce Calmet; Introductionem in libros Veteris et Novi Foederis, auditoribus anni secundi, semestri hyemali diebus Martis, Mercurii et Saturni ab 8—9, duce Ackermann et Alber, semestri aestivo iisdem diebus et horis Exegesim Novi Foederis, nec non semestri hyemali die Lunae ab hora 9—10 Linguam Arabicam, et semestri aestivo eadem hora et die Exegesim sublimiorem docebit.

Auditores anni primi praelectionibus Paedagogiae, anni vero secundi praelectionibus Juris Canonici interesse tenentur, secus ascensu carebunt.

ORDO JURISCONSULTORUM.

FELIX SŁOTWIŃSKI

PH. ET J. U. D. FACULTATIS JURIDICAE H. T. DECANUS.

Jus naturae privatum, duce Francisco nob. Zeiller (Das natürliche Privatrecht Wien 1808) a Francisco de Egger Viennae a. 1819 latine, et a Felice Słotwiński Cracoviae a. 1813 polonice redditum. Jus naturae publicum (civitatis et gentium) duce Carolo Antonio

de Martini (Positiones de Jure Civitatis. Vindobonae 1773) a Francisco de Egger lingua germanica sub titulo: Das natürliche öffentliche Recht Wien et Triest anno 1809, et a Felice Słotwiński lingua polonica sub titulo: Prawo rządowe naturalne, Prawo narodów naturalne. w Krakowie 1815—1822 commentatum. Jus criminale Austriacum, secundum codicem poenalem de criminibus. Viennae a. 1815. ab hora 9—10, hora autem pomeridiana 3—4; Auditoribus anni primi lingua latina explicabit.

LAURENTIUS SOŚWIŃSKI

J. U. D. P. P. O.

Codicem gallicum civilem et judiciarium quotidie ab hora 11—12; diebus vero Martis, Mercurii et Jovis, ab hora 12—1 extra ordinem lingua polonica docebit.

FRANCISCUS MAKOWICZKA

J. U. D. P. P. S.

Encyclopaediam Juris duce Hess (Einleitung in das juridisch-politische Studium 1813), Theoriam Statisticae duce Zizio (Theoretische Vorbereitung und Einleitung zur Statistik. Wien 1828), Statisticam Civitatum Europaearum semestri hyemali, ab hora 8—9, et Statisticam Imperii Austriaci cum respectu ad Jus publicum Austriacum ex propriis schedis semestri aestivo ab hora 8—9; Auditoribus anni primi: Doctrinam autem de Vectigalibus austriacis secundum ordinem legum in hoc objecto editarum, jus poenale contra earum transgressores, nec non Instructionem munera cameralistica obeuntes obligantem, per utrumque

semestre hora pomeridiana 4—5; Auditoribus anni secundi lingua germanica interpretabitur.

IGNATIUS HAMMER

J. U. D. P. P. S.

Jus Poloniae antiquum duce Ostrowski (Prawo cywilne narodu polskiego. Warszawa 1788) semestri hyemali hora pomeridiana 3—4; Auditoribus anni tertii, Stilum curiae, normam Jurisdictionis et Manipulationem; Codicem judicialem, juxta leges Caesareo-regias per utrumque semestre ab hora 8—9; Auditoribus anni quarti lingua latina; Jus vero mercatile et cambiale duce Sonnleithner Handels-und Wechsel-Recht. Wien 1832 semestri aestivo hora pomeridiana 3—4; Auditoribus anni tertii lingua germanica enucleabit.

JOSEPHUS ALEXANDER HELFERT

J. U. D. P. P. S.

Jus romanum duce Haimbergero (Jus romanum privatum. Leopoli 1829) semestri hyemali ab hora 9—10, hora autem pomeridiana 3—4; Jus vero ecclesiasticum secundum leges Austriacas et decretales aestivo semestri ab hora 9—10, pomeridiana vero 3—4, Auditoribus anni secundi lingua latina tradet.

EBERHARDUS JONAK

J. U. D. P. P. S.

Scientias politicas duce Sonnenfelsio (Grundsätze der Polizei, Handlung und Finanz 1819—1822) semestri hyemali ab hora 9—10 et pomeridiana 4—5; Legislationem vero politicam austriacam, secundum compendium Kopetzii et leges Caesareo regias, aestivo

semestri, ab hora 9—10 pomeridiana vero 4—5 Auditoribus anni quarti [redacted] lingua germanica explanabit.

ADALBERTUS THEODORUS MICHEL

J. U. D. P. P. S.

Jus civile austriacum secundum Codicem Civilem Universalem, primo et secundo semestri ab hora 8—9, hora autem pomeridiana 4—5; Auditoribus anni tertii lingua latina exponet.

Praelectionibus Studii juridico-politici designatae sunt horae matutinae dierum Lunae, Martis, Mercurii, Veneris et Saturni, et pomeridianae earundem dierum excepto die Martis.

ORDO MEDICORUM.

JOSEPHUS BRODOWICZ

M. ET PHIL. D. P. P. O. INSTITUTI MEDICO-CLINICI DIRECTOR UNIVERS. H. T. RECTOR.

Pathologiam et Therapiam specialem e propriis schedis duce Hildenbrando et Raimanno diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, ab h. 9—10; Praxin medicam iisdem diebus ab hora 10—11 auditores anni quarti et quinti docebit.

JOSEPHUS MAJER

M. ET CH. D. P. P. O. ORDINIS MEDICORUM H. T. DECANUS.

Elementa Psychologiae et Logices, deinde praecepta Physices, illa e propriis schedis, haec vero secundum opus Radwańscii tradet diebus Lunae et Veneris ab h. 9—10; Physiologiam, Pathologiam generalem, tum Pharmacodynamicen cum Therapia generali e propriis schedis explicabit diebus Martis, Mercurii et Jovis ab h. 11—12; denique Pathologiam et Therapiam specialem e sche-

dis suis profitebitur auditoribus Chirurgiae quotidie exceptis diebus Saturni et Solis h. 5—6.

FLORIANUS SAWICZEWSKI

M. D. P. P. O.

Explicabit per totum annum Chemiam corporum anorganicorum duce Gmelino et Grahamo. Praeterea per semestre hibernum profitebitur Pharmacognosin secundum Geigerum; per semestre vero aestivum e propriis schedis docebit Pharmaciam practicam et Chemiam medicinalem cum Chemia forensi.

LUDOVICUS BIERKOWSKI

PH. M. ET CHIR. D. P. P. O. INSTITUTI CHIRURGICO-CLINICI DIRECTOR.

Chirurgiam theoreticam generalem et specialem e propriis scriptis duce Chelio per utrumque semestre auditoribus anni tertii diebus Lunae, Mercurii et Veneris ab h. 12—1; Chirurgiam practicam auditoribus anni quarti per utrumque semestre diebus Martis, Jovis et Saturni iisdem horis; praxin vero chirurgico-clinicam auditoribus anni quarti et quinti per utrumque semestre quotidie, exceptis diebus Saturni er Solis, ab h. 11—12 explicabit.

FREDERICUS SKOBEL

M. ET CH. DR. P. P. O.

Semestri hiemali auditoribus anni primi Hodegeticen medicam duce Friedlaendero diebus Martis et Jovis pomeridie ab h. 2—4 tradet; auditoribus vero anni tertii primo Pathologiam generalem et Semioticen praeeunte Alberte, dein Hygienen e propriis schedis profitebitur, et quidem mane quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis ab h. 8—9, pomeridie vero diebus Lunae, Mercurii et Ve-

neris ab h. 3—4. Per semestre aestivum auditoribus anni tertii quotidie, exceptis itidem diebus Saturni et Solis, iisdem horis matutinis et pomeridianis explicabit Pharmacodynamicen et Toxicologiam duce Oesterleno; artem formulas medicas concinnandi duce Phoebo, denique Therapiae generalis praecepta e propriis tradet schedis.

ANTONIUS KOZUBOWSKI

M. ET CH. D. P. P. O.

Anatomiam duce Boekio Auditoribus anni primi ab h. 9—10, Physiologiam duce Müllero auditoribus anni secundi ab h. 11—12 per utrumque semestre quotidie, exceptis diebus Saturni et Solis, profitebitur. Exercitationes anatomico-practicae instituentur semestri hiemali iisdem diebus ab h. 10—11 et 2—3.

FREDERICUS HECHELL

M. ET CHIR. D. P. P. O.

Medicinam forensem praeeuntibus Henkio, Berntio, et Orfila semestri hiemali; Zoagriam et Politiam medicam ducibus P. Frankio, Berntio et Nicolaio semestri aestivo exponet diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. 7—8; Historiam Medicinae e propriis scriptis ducibus Sprengelio, Heckero et Isenseo, per utrumque semestre tradet iisdem diebus ab h. 12—1.

JOSEPHUS KWAŚNIEWSKI

M. ET CHIR. DR. P. P. O.

Theoriam artis obstetriciae semestri hiemali auditoribus anni tertii, semestri aestivo feminis artem obstetriciam discentibus diebus Lunae,

Martis, Mercurii et Jovis ab h. 9—10 ducibus Froriepo et Caro explicabit; doctrinam de morbis feminarum praeeunte Jeorgio; dein doctrinam de morbis infantum ducibus Henkio et Wendtio diebus Martis et Veneris ab h. 8—9; denique Praxin artis obstetriciae auditores anni quinti, nec non feminas arti obstetriciae vacantes diebus Lunae, Mercurii, Jovis et Saturni iisdem horis docebit.

IGNATIUS CZERWIAKOWSKI

M. D. P. P. O. HORTI BOTANICI DIRECTOR.

Quotidie exceptis diebus Saturni et festis per utrumque semestre hora 10—11 profitebitur Botanicam generalem et specialem; hanc duce Endlichero, illam Endlichero et Ungero.

HERMANNUS SCHMIDT

MED. D. PROF. S.

Physiographiam universalem tradet per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 10—11 e propriis schedis; Mineralogiam specialem duce Haidingero et Mohsio semestri hiemali, Zoologiam vero duce Wregmanno semestri aestivo diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis et Veneris h. 11—12 profitebitur.

LAURENTIUS DOMAŃSKI

M. ET CH. DR.

Medicinam veterinariam theoreticam et practicam quotidie, exceptis diebus Solis, per binas horas ducibus Gurltio, Haynio et Schwabio docebit.

ORDO PHILOSOPHORUM.

JOANNES CAJETANUS TROJAŃSKI

PH. D. P. P. O. ORDINIS PHILOSOPHORUM H. T. DECANUS.

Tradet philologiam latinam Auditoribus anni secundi diebus Lunae et Mercurii h. 8—9; Auditoribus anni primi iisdem diebus h. 9—10; philologiam graecam Auditoribus utriusque anni die Veneris h. 8—10.

Idem extra ordinem Introductionem in studium philologiae antiquae audire cupientibus exponet duce Ficker diebus Lunae et Mercurii h. 10—11.

MAXIMILIANUS WEISSE

PH. ET J. U. D. PROF. P. O. OBSERVATORII ASTRONOMICI DIRECTOR.

Mathesim sublimiorem Auditoribus anni secundi diebus Martis, Jovis et Saturni h. 11—12 duce Burg, Ettinghausen et Poisson tradet; Astronomiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora eadem ducibus Santini et Littrow docebit.

MICHAËL WISZNIEWSKI

PHIL. D. PROF. P. O.

Literaturam polonicam et Literaturae historiam Auditoribus quibuscunque per utrumque semestre quotidie exponet h. 1—2.

JOSEPHUS MUCZKOWSKI

PH. D. BIBLIOGRAPHIAE PR. P. O. ET BIBLIOTHECARIUS.

Bibliographiam per utrumque semestre diebus Lunae, Mercurii et Veneris hora 2—3 Auditoribus quibuscunque profitebitur.

LUDOVICUS STEPHANUS KUCZYŃSKI

PH. D. PROF. P. O.

Doctrinam Physices Auditoribus anni secundi per utrumque semestre quotidie h. 9—10, et praeterea diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. 11—12 exponet.

JOANNES CANTIUS STECZKOWSKI

PH. D. MATHES. ELEMENT. P. P. O.

Tradet Arithmeticam, Algebram, Geometriam, Stereometriam, Trigonometriam et Sectiones conicas Auditoribus anni primi die Saturni h. 9—11; reliquis diebus h. 10—11.

JOANNES STARONIEWICZ

S. TH. DR. P. P. S.

Doctrinam Religionis Auditoribus anni primi per utrumque semestre diebus Mercurii et Saturni h. 3—4; Auditoribus vero anni secundi diebus Lunae et Veneris h. 3—4;

Paedagogiam per utrumque semestre Auditoribus quibuscunque diebus Veneris et Saturni h. 4—5 tradet.

JOSEPHUS KREMER

J. U. DR. P. P. S.

Auditoribus anni primi semestri hiberno Psychologiam, semestri aestivo Logicam exponet diebus Lunae, Mercurii, Veneris et Saturni h. 8—9, die Martis h. 9—10; Auditoribus vero anni secundi Philo-

sophiam moralem per utrumque semestre diebus Martis et Jovis h. 8—9, die Saturni h. 2—3.

Adjuncti Professorum Facult. medicae et philosophicae:

Joannes Cantius Rzesiński Ph. et J. U. D. Adjunctus Bibliothecarii.
Carolus Hornstein Adj. Directoris Observatorii Astronomici. Hic tradet Math. sublim. cursum primum diebus Lunae, Mercurii et Veneris per utrumque semestre hora 11—12 ducibus Burg et Ettingshausen.
Mich. Zieleniewski D. M. et Chir. Adj. Directoris instituti medico-clinici.
Josephus Jaszczurowski M. D. Adj. Directoris inst. chirurgico-clinici.
Franciscus Marczykiewicz M. et Ch. D. Adj. Professoris artis obstetriciae.
Adj. Prof. Anatomiae vacat.
Josephus Riedmüller M. D. Adj. Professoris Historiae naturalis.
Theophilus Wojciechowski Mag. Phar. Adj. Prof. Chem. et Pharmac.
Ignatius Gralewski Phil. Cand. Adj. Prof. Physices.

Linguas docebunt:

Germanicam Augustus Otremba per utrumque semestre quotidie hora 5—6 pomer.
Gallicam Franciscus Aubertin hora 12—1.
Rossicam Hieronimus Mecherzyński hora 2—3.

Lectorium in Bibliotheca publica Universitatis semestri hiemali quotidie, exceptis diebus festis, ab h. 9—1; semestri vero aestivo ab hora 9—12 et 3—6;— Observatorium Astronomicum horis 3—6, diebus Jovis et Solis;— Museum Chemicum diebus Veneris ab hora 9—12;— Museum Physicum die Saturni ab hora 9—12: Museum Zoologicum et Mineralogicum die Saturni ab hora 1—4 tempore

hiemali, aestivo vero ab h. 3—6; — Hortus botanicus quotidie, Museum Anatomicum die Saturni ab h. 11—12, patebunt. Hospitibus vero extraneis, qui Musea, Bibliothecam et Observatorium invisere cupiunt, nulla hora praefinita est, dummodo tempus praelectionibus sacrum condonare velint.

